



Contenta.

An 70

1. Job. Eckhardi Observationes philologicae ex Aristophanis Plauto dictioni N. F. illustrandae inferuientes.
2. Christoph. Wollii Diss. de eo, quod sublime est in his Moysi verbis: *ימי שמי עיר, ad Longin. ite. 3485.*
3. Iust. Godofr. Gumpii Diss. de sacris *אשר* in sacris Aesculapii.
4. Sal. Deylingii Eusebianum doctrinae saluifica Systema. (Fide.)
5. Christian. Gottlieb Clugii Diss. de su formula, qua interrogamus infantes ante suam lotionem de
6. Io. Casp. Haserungii Progr. de baptismo typico.
7. Io. Georg. Walchii Diss. de baptizato Christum induente.
8. Eiusd. Historia paedobaptismi quatuor priorum seculorum.
9. Eiusd. Historia paedobaptismi mensis idoneum.
9. — Progr. tempus aduentus messis idoneum.
10. — Controversia de profectione spiritus sancti.
11. — Historia doctrinae de peccato originis.
12. Frid. Andr. Hallbaueri Scriptura Christianae rei facies a Plinio representata.
13. Io. Andr. Dampii Diss. de filia vocis, nefanda diuina emula.
14. Io. Christian. Hebenstreitii Diss. de discrepantia et consensu psalmi XLIX. et II. Sam. XXII.
15. Eiusd. Diss. de sacrificio a parricido offerendo, ex leuit. V. 20-26.
15. Eiusd. Diss. de Ispia cap. LXIII. comm. 19. non diuidentis.
16. — de Ispia cap. LXIII. comm. 19. non diuidentis.
17. Christian. Sigism. Georgii Diss. de peregrinis idiotismis ob causas et effectus suos in sermone
18. Car. Gottlob Sperbachii Observationes philologicae in nonnulla pentateuchi loca a translatore Wertheimans corrupta.
19. Georg. Laur. Gottlieb Rehdigii Observationes similis.
20. Henr. Adolphi Diss. qua Iudaei. de Dieu aphorismos theologicos falsos et erroneos refutat.
21. Car. Henr. Zebichii Diss. dicta quaedam N. F. ex versione hbraica illustrans.
22. Ioach. Kläden de lingua domini nostri Iesu Christi vernacula.
23. Gustav. Georg. Zeltneri Diss. de subiectione Iesu Christi gloriae ad I. Cor. XV. 22-28.
24. Christian. Gottl. Joeherei Thoma Woolstoni de miraculis Christi paralogismorum examen.
25. Henr. Blaupfungs Progr. de gradibus academicis.
26. Eiusd. Animaduersiones de *אורי מן הים* ad gen. XII. 67.
27. Io. Vorstii Diatriba de adajis, N. F.
28. Io. Casp. Haserungii Diss. de Bileamo incantatore et propheta periodico.
29. Io. Paschii Gryphus rabbinico-philologicus de schem hammechorasch.
30. Christian. Weisii Systema psalmodum metricum a cel. Anglo Franc. Hare nuper adornatum.
31. Adam. Grenzii Lucubraticio theologica in locum Ioh. VII. 48. 49.
32. Christian. Gottl. Fried. Wobysi Schediaisma de diuortio Iudaeorum, ad Math. XIX. 8. 9.
33. Io. Gottlieb Bosseckii Memoria Frid. Myconi.
33. Io. Gottlieb Bosseckii Diss. de regina ex aucto, ad I. reg. X. 1. 199.
34. Io. Andr. Schmidii Diss. de promotione academica christi eiusq. apostoly peperam tributa.
35. Eiusd. de elinguatibus mysterium trinitatis predicantibus.
36. Christian. Ern. Schmidii Diss. de promotione academica christi eiusq. apostoly peperam tributa.
37. Christian. Ern. Schmidii Progr. Hymni angelliq. ex historia rituum sacrorum illustrat.
38. Erk. Reuschii Progr. Hymni angelliq. ex christo filio hominis.
39. Christian. Beneh. Michaelis Progr. de christo filio hominis.
40. Eiusd. Oratio de Daniela, laudabili exemplo tyroq. trienni academici.
41. Eiusd. Oratio de Daniela, laudabili exemplo tyroq. trienni academici.
42. Io. Guil. Langii et Dan. Gottlieb Krügeri Epistola de iure uite ac nati, ad exod. XXI. 20. 21.
43. Io. Guil. Langii et Dan. Gottlieb Krügeri Epistola de iure uite ac nati, ad exod. XXI. 20. 21.
44. C. B. Michaelis Diss. de vaticinio Amosi propheta.
45. C. B. Michaelis Diss. de dualy aucty purgationi leprosi destinatis, eamundemq. mysterio, ad
46. Io. Georg. Leuil. XIV. 1-8.

43. Eiusd. *disq.* de lapidibz visis fructis in domum spiritualem, ad 1. Petr. II. 5.
 44. — de vivo stante inter myrtos, ad Zach. I. 7. 8. 9.
 45. — de tempestate maris a Christo miraculose modo sedata, ad Matth. VIII. 23 — 27. etc.
 46. Aug. Christian. Masche Specimen iurisprudentie Pauli apostoli quoad rem tutelarem, Gal. IV. 1. 2.
 47. Car. Gotthelf. Mulleri Oratio de admirabili Augustana confessionis in animis hostium efficacia.
 48. Frid. Andr. Hallbaueri progr. de Nic. Christoph. L. B. de Lyncker.
 49. Christian. Lüdow. Schlichteri Coment. de abusibz quibusdam eucharisticis.
 50. Io. David. Koeleri *disq.* de Iohanne Korymbena, famoso Calictinorum in Bohemia pontifice.
 51. Christoph. Aug. Heumannii Schediasmata III. 1) de coniuge Paullino, Phil. IV. 3. 2) de verbis S. Lucae act. XIII. 48. 3) de primis apostolis, iisdemq. euangelistis, pastoribz Bethlehemiticis.
 52. Eiusd. *disq.* de origine vera traditionis falsa de Ioanna papissa.
 53. Io. Christian. Burgmanni *disq.* de statu integritatis, quem Io. Cocceii Mianisus rãabiliter tradit.
 54. Gottlob Frid. Deligmann de iis, quae circa receptam de sabbatho doctrinam a Io. Sam. Strycio in dubium vocata sunt.
 55. Christoph. Cellarii *disq.* de Pathmo Lutheri in arce Warteburg prope Ikenacium.
 56. Paul. Antonii *disq.* de vita et doctrina Haymonis, Episcopi Halberstãdensis.

Godofredus Ludovicus Drüger
 Mulhusinus, me sibi comparavit
 Quedlimb. d. 12. Sept. 1741.

ca. 1. p. 12. 996.

Do

Ge

9.
DEL G. ITALIA
GUILIELMVS HENRICVS
DVE RAZONIAE IN FACI QUAER MONIVM
AARAE ET QUAER QUAER QUAER QUAER
SIMPLOS MARIAS QUAER QUAER QUAER
HENRICIAE QUAER QUAER QUAER QUAER
QUAER QUAER QUAER QUAER QUAER
CONTROVERSIAE
DE
PROCESSIONE
SPIRITVS SANCTI

AD
SACRA PENTECOSTES
RITE CELEBRANDA
IN ACADEMIA IENENSI
INSTITVTA NARRATIO PRIMA.



LITTERIS IO. FRID. RITTERI.

DEI GRATIA
GVILIELMVS HENRICVS,

DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS THV-
RINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCEPS COMES
HENNEBERGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBER-
GAE, SAYNAE ITEM ET VVITGENSTEINII,

DYNASTA RAVENSTEINII,

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

SPIRITVS SANCTI GRATIAM

PRECATVR

C I V I B V S.

ANTIQVIORES ecclesia graecæ doctores processio-
nem spiritus sancti non solum a patre; verum
etiam a filio credidisse, quæ in illorum scriptis
occurrunt, testimonia haud obscure comprobant.
Equidem minus negandum est, eos non semper distincte
satis ac perspicue de hac re exposuisse, quum illa nondum
in disputationem vocata esset; extant tamen effata, ex qui-
bus non sine caussa colligitur, quod veritatem, spiritum
sanctum a filio pariter; ac a patre procedere, admiserint.
ATHANASIVS * adpellat spiritum sanctum ἰδιον τῆς λόγῳ καὶ
τῆς τῆς πατρὸς ἰσοῦς, proprium et verbi et patris diuinita-
tis; filium autem ὡνυὴν τῆς αἰῶνις πνεύματος, fontem sancti
spiritus. ** GREGORIVS Nyssenus *** hanc concludendi
rationem adhibet: vt patri coniunctus est filius, et quum ex
illo existentiam habeat, non tamen posterius existit; sic etiam
spiritus sanctus proxime hæret filio, qui sola cogitatione, secun-
dum rationem principii, prius consideratur productione spiritus.
Inpri-

* ad Serapion. tom. i. oper. p. 207.

** de human. vit. tom. i. oper. p. 601.

*** lib. i. contr. Eunomium p. 164.

Inprimis locuples pariter ac luculentus rei huius testis est EPIPHANIVS. Inter alia dicit: * τὸ ἅγιον πνεῦμα παρ' ἀμφοτέρων, πνεῦμα ἐκ πνεύματος, spiritus sanctus ab ambobus, patre quippe ac filio, oritur, spiritus e spiritu, et quum deinde sibi ipsi dubium hocce obiecisset: duos ergo filios statuimus? quod si ita est, qui tandem esse potest unigenitus? respondet: immo vero, tu quis es, qui contradicas deo? Quum enim filium vocet, qui a se oritur, τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα τὸ παρ' ἀμφοτέρων, spiritum vero sanctum, qui ab viroque procedit, ex tres personæ sola fide a sanctis viris perceptæ lucidæ, ac lucis auctores lucida sunt actione præditæ, ** quod et paullo post *** diserte repetit. Huic merito adiungimus CTRILVUM Alexandrinum, itidem insignem veritatis huius testem. In epistola, quæ ab eo nomine synodi Alexandrinæ ad Nestorium scripta est, quæve habetur in actis concilii Ephesini, hæc leguntur: * ἀδελφεὶς καὶ ἐν χριστῷ ἡ ἀλήθεια καὶ προχέεται παρ' αὐτῶν καὶ πατὴρ ἀμὲν καὶ ἐν τῷ θεῷ καὶ πατὴρ, spiritus veritatis: et christus est veritas: et procedit ab ipso, quemadmodum etiam a deo et patre; et alibi: ** πνεῦμα ἀληθείας ὁνομάζει ἵνα εἶπῃ αὐτῷ αὐτὸς γὰρ ἐστὶν ἡ ἀλήθεια: ἔγὼ γὰρ ἀδελφίον τῆς ἔσσης τῷ μονογενῆς τὸ ἅγιον νοεῖται πνεῦμα, πρόσεισι δὲ Φυσικῶς ἐξ ἀοτιῆς, spiritum veritatis appellat, ut suum significet: ipse enim est veritas. Spiritus namque sanctus nullo modo ab unigeniti substantia alienus intelligitur; sed ex ea naturaliter procedit, vt de reliquis eiusmodi locis, quæ in libris eius inveniuntur, simulque de DIONYSIO Alexandrino, *** DICTIMO * atque aliis taceamus. Qui plura horum docto-

A 2 rum

* hæres. LXXIV. tom. I. oper. p. 895.

** loc. cit. p. 896.

*** ibid. p. 897.

* p. 81.

** in Ioann. XVI. 13. p. 394.

*** apud ATHANASIVM de sententia Dionysii, tom. I. oper. p. 548.

* DIDYMVVS suo ingenio varioque literarum genere floruit sæculo quarto. Scholæ catecheticae Alexandrinæ præfectus, ac Hieronymi et Rufini præceptor fuit. Librum composuit de spiritu sancto, qui græce quidem intercidit; ab HIERONY-

MO

rum testimonia scire velit, adeat ille ROBERTVM BEL-
LARMINVM, * DIONYSIVM PETAVIVM, ** IO. CASP.
SVICERVVM, *** IO. FORBESIVM, * IO. GERHARDVM, **
IO. CONR. DANNHAVERVM, *** IO. MICHAEL. HEI-
NECCIUM. *

Ab hac tamen veritate postea græci discesserunt ac
quum media ætate grauisima certamina inter illos ac la-
tinos exorirentur, multa hac de re inter vtrosque acriter
fuerunt disputata. Quamuis enim græci profiteantur, spi-
ritui sancto communem esse essentiam cum patre et filio
eumque diuino prosequantur cultu, ac doceant, illum esse
spiritum filii; negant tamen pertinaciter, processionem
illius fieri a filio non minus; quam a patre. Controuer-
sia hæc, quæ per longius tempus; nec sine animorum fer-
uore instituta est, et multorum scriptorum, ab vtraque parte
compositorum, materiam dedit, insignem in historia eccle-
siastica locum tuetur, ac digna est, quæ a nobis adcurate
et copiose; per partes tamen, si deus clementer nos adiu-
uet, ex monumentis fide dignis enarretur. Non defuerunt
quidem

MO autem latine versus extrat inter
huius opera, etiam in IO. MARTIA-
NAEI editione tom. IV. p. 494. sqq.
In eo professus est luculenter, spi-
ritum sanctum a filio æque, ac a patre
procedere. Quum enim verba chris-
ti: non loquetur a semetipso, illustra-
re instituit, inter alia obseruat: hoc
est, non sine me et patris arbitrio, quia
inseparabilis a mea et patris est volun-
tate: quia non ex se; sed ex patre et
me est. Hoc enim ipsius, quod sub-
sistit, a patre et me illi est.
* lib. II. cap. 25. de christo p. 227.
** dogmat. theolog. tom. II. lib. V. II.
cap. 3. p. 367.
*** in Symbolo Niceno-Constanti-
nopolit. exposit. et ex antiquit. eccles.

illustrat. quod Traiect. ad Rhen.
MDCXVIII. prodit, cap. XIV.
p. 310. sqq.

* instructionib. historico-theolog.
lib. I. cap. 6. p. 16.

** loc. theolog. loc. de spiritu sancto,
§. 84. tom. I. p. 306.

*** in filo vindic. æternæ spiritus
sancti a patre filioque processionis
p. 201. sqq.

* in der Abbildung der alten und
neuen griechischen Kirche, part. II.
cap. 2. p. 51. sqq. adde IO. BECCVM;
sive VECVM, qui patriarcha Con-
stantinopolitanus fuit et librum
scripsit de processione spiritus sancti.
Extrat ille in LEONIS ALLATI
græcia orthodoxa, tom. I. p. 225. sqq.

quidem viri celeberrimi ac doctissimi, qui ad historiam certaminis huius recensendam sua studia suasque operas conferrent, GERH. IO. VOSSIVS* quippe, IO. FORBESIVS,** IO. HOORNBEKIVS,*** FRIDERICVS SPANHEMIVS,* DIONTSIVS PETAVIVS,** THOMAS SMITHVS,*** MICHAEL LEQVIEN,* FRIDER. ADOLPH. LAMPE,** ADRIAN. A CATTENBVRGH,*** IO. CONR. DANNHAVERVS,* IO. MEISNERVS,** WOLFG. GVNDLINGIVS,*** IO. MICH. HEINECCIVS;* reliquerunt tamen, in quibus et alii sua ingenia exercere possunt, siue ad rem ipsam eiusque momenta; siue ad ordinem ac rationem istam tractandi, velis respicere.

Primum controuersiae huius caput, de quo nos solliciti esse quodque referre debemus, ad occasionem illius spectat. Hanc ubi rite intelligere velimus, obseruare, nos decet, quod iam inter antiquiores ecclesiae graecae doctores

A 3 extite-

* *dissertat. III. de tribus symbolis* §. 15. sqq. tom. VI. oper. p. 525.

** *instructioib. histor. theol. lib. I. cap. 6. p. 16. sqq.*

*** *in summi. controuers. p. 891. sqq.*

** *in clencho controuers. tom. III. oper. p. 919.*

** *dogmat. theologic. tom. II. lib. 7. p. 362. sqq.*

*** cuius de graeca ecclesia hodierno statu epistola auctior prodit Traiect. ad Rhen. MDCXCVIII. In ista p. 133. sq. varia occurrunt, quae ad hanc controuersiam pertinent.

* edidit DAMASCENI opera Paris. MDCCLXII. ac praemittit *dissertationes Damascenicarum*, quarum prima de processione spiritus sancti agit, ac quae de ista disputata fuerunt, illustrat.

** *dissertat. IV. de spiritu sancto* p. 28. sqq.

*** *in spicileg. theolog. christian.*

Limborchii p. 184. sq.

* in libro paullo ante memorato, cuius inscriptio est: *Stilus vindex aeternae spiritus sancti a patre filioque processionis, internae immanentis emanationis, auita religione haecenus creditae*, cer. Argentor. MDCCLXIII.

** cuius extat *disputatio de processione spiritus sancti*, quae itidem ad historiam controuersiae huius illustrandam spectat.

*** qui EVSTRATHI IOANNIDIS ZIALOWSKI breuem *delincaionem ecclesiae orientalis graecae* cum notis edidit atque in his p. 54. sqq. de eadem controuersia exponit.

* *in der Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche, part. II. cap. 2. §. 4. p. 51. et §. 12. p. 63.* His addi potest I. P. KOHLIVS *de ecclesia graeca Lutheranae*. p. 102. sqq.

extiterint, qui processionem spiritus sancti a filio negarent. Spectat huc THEODORVS Mopsuestenus, episcopus Mopsuestiæ in Cilicia, qui *symbolum*; siue *expositionem fidei* * condidit atque in eo adfirmavit de spiritu sancto: *sed nec filium illum putant; neque per filium existentiam accepisse*, quamvis quæ minus recte professus fuerat, emendare, haud recusauerit. ** Præter hunc THEODORETUS, Cyri, ciuitatis in Syria, episcopus, seculo quinto clarus, locum eumque præcipuum heic tenet, quippe qui *ὡς βλασφημὸν καὶ δυσσεβὲς, tamquam blasphemum et impium reiecit*, si dicatur, *spiritum sanctum ἐξ οὐσ, ἢ δι οὐσ existentiam habere*, *** hæcque aduersus CTRILLVM Alexandrinum pronuntiauit. Quum enim hic sententiæ Nestorii, christum miracula non propria; sed spiritus sancti virtute edidisse, sese opponeret ac simul opinionem, quod spiritus sanctus non sit spiritus christi, anathemate dignam iudicaret; Theodoretus autem anathematismos a Cyrillo Nestorio oppositos refutaret, etiam id, quod de spiritu sancto dixerat, censuræ subiecit atque existimauit, spiritum sanctum eo quidem sensu dici posse spiritum christi, quod cum filio dei eisdem sit essentiæ atque ex patre procedat; minime vero, quod ex filio; aut per filium suam habeat existentiam. Hinc a multis habetur post Theodorum Mopsuestenum fons erroris de spiritu sancto a patre solo procedente, quem amplexa est ecclesia græca et pro isto aduersus latinos pugnavit, * licet sententiæ illius nullas turbas effecerit, in-

primis

* *symbolum hoc extat græce et latine in actis concilii Ephesini, act. vi. latine illud reddidit MARIUS MERCATOR hincque in illius operibus a GERBERONIO, GARNERIO et BALVZIO editis legitur: conf. BETRI ZORNII opuscul. sacr. tom. I. p. 210. sq.*

** *paret hoc ex IOANNIS Antio-*

cheni epistola ad Nestoriam in iisdem actis concilii Ephesini conseruata.

*** *in reprehension. XII. capit. sue anathematisinor. Cyrilli tom. IV. oper. p. 718.*

* *vide IO. GARNERIUM in auctario Theodoretii p. 194. IO. PEARSONIVM in expositione symboli apostolici p. 571. et adde LEONIS AL-*

LATII

primis quum scripta, quæ aduersus Cyrillum composuerat, essent damnata; nec in dissensu doctorum de hac causa publica ecclesie facta sit eo tempore definitio.

Præterea ad occasionem controuersie huius pertinet additamentum vocis *filiouque* in symbolo Nicæno-Constantinopolitano, cuius hæc est ratio. Quum anno cccxxv. patres concilii Nicæni formulam fidei formarent, ea, quæ ad dogma de spiritu sancto spectant, his tantum verbis: *et in spiritum sanctum*, generatim declararunt, quoniam præcipue hæresi Arianae contradicebant atque ab illa diuinitatem iesu christi vindicabant. In concilio Constantinopolitano primo, anno cccclxxxii. contra Macedonianos celebrato, quod in oecumenicis conciliis, vti dicuntur, secundum est, symbolum Nicænum repetitum fuit; ita tamen, vt nonnulla capita accefferint, ac speciatim de spiritu sancto hæc addita sint: *dominum et viuificantem, qui ex patre procedit: qui cum patre et filio simul adoratur et glorificatur: qui loquutus est per prophetas: in vnam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor vnum baptismum in remissionem peccatorum et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi seculi.** Quo in additamento spiritus sanctus procedere quidem dicitur; sed tantum *ex patre*; nec vlla mentio fit *filii*, id quod etiam de concilio Ephesino ac Chalcedonensi aduersus Nestorium et Eurychen habitis constat, formulam fidei in illis recitatam haud quidquam de spiritus sancti processione a filio declarasse. Sunt quidem, qui vocem *filiouque* ab ipsis patribus Constantinopolitanis additam; postea autem a grecis deletam esse, existimant, prout ex romanensibus CAESAR BARONIVS, SEVERI-

LATHI vindicias synodi Ephesine et Cyrilli de processione ex patre et filio spiritus sancti, Rom. MDCLXI.

* que patres Constantinopolitani addiderunt, recensent GERH. IO. VOSSIVS de tribus symbolis diss. III.

§. 9. 199. tom. VI. oper. p. 524. NATALIS ALEXANDER in hist. eccles. secul. IV. dissert. 37. art. 2. p. 390. IO. CASP. SVICERVS in symbolo Nicæno-Constantinopolit. expofitio, cap. I. p. 15. 199.

SEVERINVS BINIVS aliique ita sentiunt, hosque nonnulli ex ordine nostrorum theologorum sequuntur, quod IO. LVDOVICVS HARTMANNVS * obseruat; huic tamen sententia varia momenta repugnant. Sane exempla formulæ fidei Nicæno-Constantinopolitanæ, quæ antiquiores scriptores nobis referunt, vocabulum *filioque* non habent; quis autem sibi persuadeat, omnia symboli huius exempla, in eiusmodi auctorum libris conseruata, haud genuina esse; sed corrupta? Sane, vbi ipsi patres Constantinopolitani vocem hanc addiderint, dicant nobis, qui hocce credunt, quomodo græci potuerint ægre ferre, quum audirent, apud latinos in symboli recitatione pronuntiari *ex patre filioque*? dicant, quomodo THEODORETVS contra Cyrillum potuerit disputare ac sententiam, spiritum sanctum habere existentiam a filio; vel per filium, veluti impiam reiicere? vt antea a nobis obseruatum fuit.

Ita certum ac firmum est, patres Constantinopolitanos vocem *filioque* non adiecisse. Queritur igitur: quo tempore illa a latinis symbolo fuerit addita? Nonnulli contendunt, ætate Damasi vocabulum hoc adiectum fuisse a concilio romano; quod tamen GERH. IO. VOSSIVS ** confutat monetque, quod, si ita esset, THEODORETVS in *historia* *** sua, in qua litteras concilii Constantinopolitani ad Damasum et Damasi ad concilium referat, hac de re non racuisset: immo tantum absit, vt Damasus vocem hanc symbolo adiecisset, vt nec quadringentis et amplius annis post id permisisset Leo III. Alii aditamenti huius primos auctores esse Hispanos, adfirmant. Nec negandum est, quod regnante Reccaredo celebrata sit synodus Tolertana tertia anno D LXXXIX. in qua rex patres concilii adloquutus est et de spiritu sancto dixit: *spiritus æque sanctus confitendus a nobis et prædicandus est, a patre et filio* proce-

* concilior. illustrat. tom. III. p. 328.

** dissertat. III. de tribus symbol. §. 16. tom. VI. oper. p. 526. adde MI-

CHAEL LEQVIEN dissertation. Damasenicar. I. §. 26. p. 13. sq.

*** lib. v. cap. 9. et io. p. 714. sqq.

procedere, et cum patre et filio vnius esse substantiæ: deinde recitauit fidei formulam Nicænam moxque Constantinopolitanam cum his verbis: *qui ex patre filioque procedit; patres autem edixerunt anathematismos, quorum tertius fuit: si quis spiritum sanctum non credit; aut non crediderit, a patre et filio procedere, eumque non dixerit, coeternum esse patri et filio et coequalem, anathema sit.* * Idem symbolum Constantinopolitanum cum addita voce *filioque*, quæ confirmata erat, in concilio Toletano VIII. XII. aliisque fuit recitatum ac repetitum. Exemplum Hispanorum sequuti sunt Galli, quamuis qua ætate id factum sit, haud aperte pateat. Quum PAVLLINVS *Aquileiensis* in Forouliensi concilio anno DCC XCI. dixerit: *propter eos, qui susurrant, spiritum sanctum solius esse patris et a solo patre procedere, additum est: qui ex patre filioque procedit, ex his colligi posse, monet MICH. LEQVIEN, ** adiectam esse symbolum vocem filioque in Galliis, postquam auditum sit, græcos negare, quod spiritus sanctus etiam ex filio procedat, ac proinde fortasse in concilio Gentiliacensi. In hoc enim, anno DCC LXVII. celebrato, occasione legationis Constantinopolitanæ ad regem Pipinum factæ, actum fuit de processione spiritus sancti a patre et filio, de quo præter alios legendi sunt CAROLVS LE COINTE *** et ANTONIVS PAGI. * Nec solum tamen Hispani et Galli; verum etiam germani atque aliæ nationes symbolum cum additamento acceperunt idque successu temporis ab occidentis ecclesiis receptum fuit, inprimis quum *symbolum Athanasianum* acceperet. In isto enim expresse dicitur: *Spiritus sanctus a patre**

B

et

* vide IOSEPHVM SAENZ D'AGUIRRE in collectione conciliorum Hispan. tom. II. p. 238. sqq. IO. CABBASSYTIUM in notitia ecclesiast. historiarum, conciliorum et canonum, cet. p. 272. sqq. NATALEM ALEXANDRVM in *hisor. ecclesiast. secul. VI.*

cap. 5. p. 441. sqq.

** *cit. loc. §. 27. p. 14.*

*** *annal. ecclesiastic. Francorum, tom. V. p. 698.*

* *critic. histor. chronolog. in annal. Baronii, tom. III. p. 322. sq.*

et filio: non factus; nec creatus; nec genitus; sed procedens, cuius confessionis autem quis sit auctor quove tempore illa fuerit edita, adcurate definiri haud potest. Id quidem exploratum est, quod symbolum hoc ab ATHANASIO ipso minus sit compositum, quoniam illud in antiquis ac probatae fidei codicibus manu exaratis fere omnibus operum eius desideratur: omnia illius exempla graeca eaque manu scripta sunt varia et diuersa; latina vero inter se conueniunt: quoniam nullus auctor, sua aetate Athanasio aequalis, illius fecit mentionem: vocabulum *consubstantialis* in eo haud legitur, vt de reliquis rationibus taceamus, a NATALE ALEXANDRO, * SAM. BASNAGIO, ** IOSEPHO BINGHAMO *** memoratis atque explicatis. Sed quis verus formulae huius sit auctor, haud liquido patet; nec aetas eius adcurate est determinanda, licet probabile esse, existimemus, tempus illius non tam ad seculum quartum, vt DANIEL WATERLANDVS * coniicit et HILARIUM *Pictaviensem* auctorem esse, credit; quam ad sextum referendum esse.

Quando speciatim in ecclesia romana vox *filioque* usurpari coeperit, incertum est. Id constat, quod anno DCCCIX. auctoritate Caroli magni habita sit synodus Aquisgranensis, in qua de processione spiritus sancti a pa-

tre

* in *hisor. eccles. secul. IV. cap. 6.*

p. 110.

** *annal. politico-ecclesiast. tom. II.*

p. 307.

*** in *origini. sue antiquit. eccles. volum. IV. p. 114.*

* in *historia critica. Symboli Athanasiani*, edit. Cantabrig. MDCCXXIV. Princeps eius argumentum est, quod symbolum hoc Apollinarismo fuerit oppositum; sed id non satis firmum esse, pronuntiare debemus. Non praecipue Apollinari contradicit;

nec si et hoc admittatur, ex eo sequitur, symbolum ad aetatem illius referendum esse: adde LUDOVICVM ANTONIVM MVRATORIUM *anecdor. ex Ambrosiana bibliotheca codicibus erut. tom. II. p. 217. sqq.* BERNARDVM DE MONTEFACON in *diarrib.* de hoc simbolo *tom. III. oper. ATHANASII p. 728.* CHRISTIANVM AVG. SALIGVM de *Eurychianismo ante Eurychen, cap. XV. p. 129. sqq.*

tre & filio actum est, quodue quæstionis huius definiendæ causa Romam ab imperatore missi sint legati, Bernarius, Wormatiensis episcopus, et Adalhardus, Corbeiensis abbas, qui a pontifice Leone III. peterent, vt additamentum *filioque* publica confirmaret auctoritate, quamuis petitioni huic minime satisfecerit: immo in argentea tabula symbolum Constantinopolitanum absque *filioque* scribi, iusserit. * Nihilominus postea vocabulum *filioque* receptum esse, itidem constat; quo auctore autem quoque tempore id contigisse, difficile est, definire. Nonnulli contendunt, factum id fuisse tempore Nicolai I. qui ecclesiæ romanæ præfuit ab anno DCCCLVIII. vt PETRVS PITHOEVS ** sentit: alii illud *filioque* symbolo additum esse, existimant a pontifice romano Christophoro, qui anno DCCCVIII. Leonem V. sede deiecit: alii tribuunt hocce romano præfidi, Sergio III. atque inter alia argumenta et ad hocce prouocant, quod Sergius litteris excitauerit episcopos Gallicanos ad rationes colligendas, quibus aduersus græcos processio spiritus sancti a filio solide euinceretur. *** Sunt quoque, qui in eo acquiescunt, vt rem ipsam incertam esse, pronuntient, quemadmodum DIONYSIVS PETAUIVS * dicit: *quandonam vero romana primum ecclesia idem symbolum Constantinopolitanum auctum illo vocabulo receperit, et quo auctore pontifice, haud satis constare, dixi.*

Sed hæc pro commentandi modo, quem tenere debemus, nunc sufficiant. Accedimus ad ea, quæ scriptio hæc præcipue sibi vindicat, vosque, carissimi CIVES! adlo-

B 2

quimur,

* vide CAROLVM LE COINTE in *annalib. eccles. Francorum*, tom. VII. p. 117. GERH. IO. VOSSIVM *diff. III. de tribus symbolis* §. 27. sqq. tom. VI. oper. p. 528. et ANTONIVM PAGI in *critic. histor. chynol. in annal. Baronii*, tom. III. p. 454. sqq.

** *dissertatione de processione spiritus sancti*, quæ extat in eiusdem

opusculis, edit. Lutet. MDCIX.

*** confer GERHARD. IO. VOSSIVM *dissert. III. de tribus symbolis* §. 41. sqq. tom. VI. oper. p. 532. MICHAEL. LEQVIEN *dissertation. Dogmascen. I.* §. 28. p. 14. sq.

* *dogmat. theol. de trinitate*, lib. V. §. 1. cap. 2. §. 3. tom. II. p. 366.

quimur, de vestra salute ac felicitate, eaque vera, solida atque aeterna maxime solliciti. Per caelestem benignitatem in coetibus nostris christianis eos dies celebramus, qui praecipue per eximia ac singularia spiritus sancti beneficia facti sunt et festi, quod quum illustre gratiae diuinae munus est, merito id sedulo curare, vos decet, vt gratam mentem erga deum praestetis hancque per pia ac sanctiora studia, oracula diuina audiendi, legendi, contemplandi: sanctissimi spiritus munera per veram poenitentiam fidemque in iesum christum impetrandi ac conseruandi, declaretis; praeter haec autem vestrarum partium est, erga illos, qui heic ecclesiae praesunt nobisque voluntatem diuinam interpretantur, liberalem significare animum atque ita, quod pietas pariter, ac consuetudo postulat, obseruare.

P. P. primo die pentecostes anno reparatae gratiae diuinae M DCC XXXIX.



102 183




f

sb.

PD 17







9.
GUILIELMVS HENRICVS
DEI GRATIA
SACROSANCTAE ROMANAE IMPERII
ARCHIEPISCOPVS
ELECTOR PALATINVS
CATHOLICVS
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
CENSURAE
DE
CONTROVERSIAE
PROCESSIONE
SPIRITVS SANCTI

AD
SACRA PENTECOSTES
RITE CELEBRANDA
IN ACADEMIA IENENSI
INSTITVTA NARRATIO PRIMA.



LITTERIS IO. FRID. RITTERI.